Papenkowicz Jakób

Ustrensis Jacobi: Quaestio de divinissimo SS. Eucharistiae Sacramento.



QVÆSTIO

DE

DIVINISSIMO SS. EVCHARISTIÆ SACRAMENTO.

A

M. IACOBO VSTIENSE S. FLORIANI Canonico, S. T. Baccalaureo, ad disputandum in Alma Academia Cracouien. proposita.

Præsidente

Admodum Reuerendo Patre,

D. MARTINO CAMPIO VADOVIO

S. Th. Doctore, ac publico Professore, eiusdemq; Facultatis Decano, ad S. Floriani Præposito.

Disputabitur in Lectorio DD. Theologorum. Die vltima August. Hora 12.

CRAC. *Typis Francisci Cæsarij.* 1626.



Mille coruſca modis totidem Crux digna triumphis,
Mille Poëtarum condecoranda metris.
En ſe deijciunt ſubter tua cornua Lunæ,
Vt radio de te ſplendidiore micent.
Fortunata domus quæ tanta luce coruſcat,
Non Phæbi rutilat fulgidiore iubar.

Perillustri & Admodum Reuerendo
Domino,

ANDREÆ SZYSZKOWSKI
ECCL: CATHED: CRAC.
SCHOLASTICO:

Custodi Plocensi, Præposito Ilzensi, Archidiacono Zauichostensi, Decano Sendomiriensi, S. R. M. Secretario.

Domino & Patrono suo colendissimo.

M. Iacobus Vstiensis S. Theolog. Baccal. prompta obsequia.



TSI periclitanti Patriæ prospicere sit longè alterius curæ, ab ea quæ rei litterariæ incrementis impenditur, Perillustris & Admod. Reuer. Domine, vtriusque tamen excellentiam pastorali vigilantiæ coniunctam, in Illustrissimo Antistite Patruo Tuo Academiæ nostræ Cancellario, plurimùm suspicit & veneratur inclita huius Regni Nobilitas. Nam vt superiora taceam, nunc, indè Paganorum, hinc atque hinc hæreticorum armis in exitium Poloniæ conspirantibus, ille in firmissimis vtrique hosti præsi-

diis opponendis, studio & alacritate plurimos praeueniens, amoris in patriam difficillimo tempore contestandi, praeclarum in se exhibuit exemplum, huius & sequentis aeui ciuibus imitandum. Nec propterea aliquid eorum, quae in rem Scholae Regni essent praetermisit, sed diuturna tempestate iactatae, emergendi ex his procellis spem obiecit, oblato fauore ac benefica ope sua, quâ prolixa ingeniorum in spaciis Academicis contentiones confirmauit. Ita Pastoris vigilantia, Senatoris sapientia, Ciuis amor, & Cancellarij in prouehendis ad optatos exitus D. Jagelonis votis, pietas, maximae ac Diuinae virtutes, quibus singulis sua laus & veneratio debetur, in Jllustrissimo Patruo collectae, inusitato & admirando laudum splendore, vetusta maiorum vestrorum Decora exaggerant ac immortalitati consecrant. Ad tam insignem de Ecclesia, de Patria benè merendi facultatem, ad hos inquam in Republica gradus aliquando consequendos, generis claritas, liberalis institutio, & domesticarum virtutum aemulatio Tuos eximios conatus certò est prouectura. Caeterùm litterarum atque adeò Academiae quam D. Jagelo omnium disciplinarum veluti fontem irrigandis amplissimis Regni Prouinciis constituit, vnde vniuersi Regni Ordines, sapientiam & benè viuendi praecepta du-

centis

centis & amplius annis hauserunt : cùm ea dignitate, quâ in Augusto Canonicorum Cracouiensium Collegio emines, Patrocinium te suscepisse confidimus. Neque enim te egregiè scientiis excultum latere potest, doctrinam atque sapientiam cùm Ecclesiasticis functionibus, tùm quibusuis Ordinibus atque conditioni pernecessariam florere non posse, nisi Principum & illustrium virorum fauore ac beneficentia litteræ & earum cultores sustententur & ornentur. Rem itaq; & Tuo excelso animo consentaneam, & honori in quẽ te Tua virtus euexit, & ad altiores vocat debitam existimaui, si Quæstionem hanc de Diuinissimo SS. Eucharistiæ Sacramento arduam, sub tuis auspiciis in arenã Academicam produxero, ac illius perdifficilem & periculosam propugnationem, Te patrono Fautore & Spectatore, non modò non exhorruero, sed tantò alacriùs aggrediar, quantò in Tua dignitate & doctrinæ excellentia, illiusq; propagandæ desiderio, maiora & mihi propiora præsidia, reposita esse animaduerto. Neq; enim dubium est Illustrissimo Antistiti Patruo Tuo Cancellario in res Academicas iuuandas propenso, hanc Tuam egregiam in promouendis Academicorum circa inquirenda & explicanda arcana fidei mysteria studiis, in excitandis concertationibus volũtatem fore

periucun-

periucundam, Tuis præclaris de Ecclesia, de Patria merendi susceptis consiliis dignam, & ad expectationem, quam illustribus virtutum speciminibus animis hominum inseruisti cumulandam, non inutilem: publicæ autem vtilitati, quæ omnibus ad solidam laudem & immortalitatem gloriæ aspirãtibus maximæ debet esse curæ, valdè necessariam. Quamobrem Perillustr. & Adm. Reuerende Domine, erit Tuæ humanitatis meam hanc, de Tuo erga bonas disciplinas fauore, & in Regni Scholam beneuolentia, persuasionem ac spem, ita acceptare, vt quiuis intelligat isto æuo infelici, quo litteræ & Mæcenatibus & suo honore orbantur, sub Vestris decoribus præsidij ac ornamentorum sedem inuenisse, postquam sicut in magnam aliarum Illustrissimi Patrui virtutum, ita huius semper celebratæ hæreditatem non inuiti succeditis. Me autem cum hac Tui liberalis animi appellatione, obseruantiam & officiorum studia offerentem, vt in eorum numero quos Tua gratia & amor illustrat, fortuna tuetur esse velis etiam atque etiam rogo. Ex Collegio Maiori. Die 25. Augusti. Anno 1626.

QVÆSTIO.
De Divinissimo SS. Eucharistiæ Sacramento.

Ex 3. p. Summæ Angelici Doctoris.

VCõuersio panis in Christi corpus & vini in sanguinem verbis Domini: *Hoc est corpus meum. & Hic est calix sanguinis mei,* à sacerdote prolatis facta: primô & per se terminetur ad substantiã corporis & sanguinis Christi sub nouo modo existẽdi, necne?

Conclvsio I.

Consecratione SS. Eucharistiæ fit conuersio totius panis substantiæ in Christi corpus, & vini in sanguinem.

COROLLARIA.

1. *Christus realiter & verè est præsens in SS. Eucharistia.*
2. *SS. Eucharistiæ Sacramento meritò cultus latriæ exhibetur.*

3. *Sacramentum hoc cæteris est longè præstantius.*

4. *Erroneè tenet Durandus post consecrationem panis aut vini materiam manere.*

5. *Aliquid substantiæ panis vel vini manere post consecrationem asseuerare, est hæreticum.*

6. *In conuersione enunciatio hæc: panis potest esse corpus Christi, non verificatur.*

CONCLVSIO II.

Confectio SS. Eucharistiæ prolatione formarum: *Hoc est corpus meum*, supra panem, & *Hic est calix sanguinis mei*, supra vinum, perficitur.

COROLLARIA.

1. *Formæ consecrationis SS. Eucharistiæ sunt & significatiuæ & operatiuæ.*

2. *Formæ dictæ in vltimo instanti prolationis cum ordine ad verba præcedentia operantur.*

3. *Consecratio panis, consequitur effectum ante cõsecrationem vini.*

4. *SS. Eucharistiæ Sacramentum ante vsum perficitur.*

Alia

5. *Alia verba quæ adhibentur, ad consecrationis essentiam non pertinent.*

6. *Panis ex grano tritici aut siliginis, & vinum ex vite est materia huic Sacramento propria.*

CONCLVSIO III.

SS. Euchariſtiæ conficiendæ ac diſpenſandæ facultas, eſt penes ſolum ſacerdotem intendentem facere quod facit Eccleſia.

COROLLARIA.

1. *Diſpenſatio SS. Euchariſtiæ ex commiſſione ſacerdotis Diacono competit.*

2. *Sacramentum hoc Subdiaconus nequaquam poteſt diſpenſare.*

3. *Per nullam Eccleſiaſticam cenſuram facultas conficiendæ SS. Euchariſtiæ à Sacerdote poteſt tolli.*

4. *Vſus tamen conficiendæ SS. Euchariſtiæ ſacerdoti poteſt inhiberi.*

5. *Neque malitia, neque degradatio poſſunt inualidare confectionem huius Sacramenti.*

6. *Sacerdos conficiens SS. Euchariſtiam ad illius vſum obligatur.*

Conclvsio IV.

Facta conuersione, accidentia panis & vini eadem numero manent absque subiecti concursu.

COROLLARIA.

1. *Falsum est accidentia manentia ab aëre circumstante sustineri.*
2. *Accidentium præfatorum modus existendi est supranaturalis.*
3. *Desinente subiecto accidentia desinere, simpliciter non est necesse.*
4. *Ex hoc mysterio non infertur migratio accidentium de subiecto in subiectum.*
5. *Conuersionis prædictæ termini habent tertium commune.*
6. *Terminus ad quem huius conuersionis, fidei beneficio nobis innotescit.*

Conclvsio V.

Accidentia post consecrationem manentia à quantitate panis & vini sustentantur.

COROLLARIA.

1. *Post consecrationem panis & vini quantitati modus existendi substantialis confertur.*

Gaiür

2. *Gratis asseritur præter quantitatem aliis accidentibus modum per se existendi in hoc sacramento adesse.*
3. *Accidentia præfata possunt aliquid extra se immutare.*
4. *Nutriendi vis dictis accidentibus inest.*
5. *Nullum est miraculum species sacramentales frangi & alterari.*
6. *Fractis speciebus sacramentalibus nulla corporis Christi sequitur diuisio.*

CONCLVSIO VI.

Conuersio primò & per se terminatur ad substantiam corporis & sanguinis Christi.

1. *Conuersio hæc ab Ecclesia conuenientissime appellatur transubstantiatio.*
2. *In conuersione hac nulla annihilatio interuenit.*
3. *Conuersio hæc in momento perficitur, nec habet vllam præuiam alterationem.*
4. *Conuersio est per se causa præsentiæ Christi in SS. Eucharistia.*
5. *Falsum est conuersionem primo & per se terminari ad conseruationem Christi intra species.*

Ad con-

6. *Ad conuerſionem panis in corpus Chriſti, concomitantter ſeſe habent ſanguis anima & Diuinitas Chriſti.*

CONCLVSIO VII.

Chriſtus licet idem numero ſit in cœlo & in SS. Euchariſtiæ Sacramento, hic tamen alium eſſendi modum habet.

COROLLARIA.

1. *Modus prædictus exiſtendi conſiſtit in corporis vel ſanguinis Chriſti habitudine (excepta inhærentia) eadem, quam habuit panis & vinum ad ſua accidentia manentia.*
2. *Chriſtus in hoc Sacramento non eſt tanquam in loco.*
3. *Sub vtraque ſpecie tota & in qualibet vtriuſque ſpeciei eſt totus Chriſtus.*
4. *Nulla mutatio per ſe cadit in Chriſtum in hoc Sacramento exiſtentem.*
5. *Chriſtus in SS. Euchariſtia à nullo oculo corporeo poteſt videri.*
6. *Datur modus exiſtendi alius à localitàm definitiuo, quàm circumſcriptiuo.*